Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 869
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 17. sequitur *Tractatus de casu hominis et ejus reparatione.* Brevis Allegoria, cujus initium: *Rex quidam potens et prediues id est deus quo nichil ditius nichil potentius. filium habuit. hominem scilicet aquis baptismi regeneratum in filium adoptauit. cui medium dedit hereditatem quando eum ad suam creauit imaginem, totam repromittens si deuote seruiret* &c. Et finis: *De conciue sic recepto iocundantur angeli. qui triumphat coronatus potens factus ex humili.* Subditur Tristichon, quod ego de Pedo episcopali interpretor:

Collige, sustenta, stimula vaga, morbida, lenta.
Hoc est pastoris. hoc uirga figurat honoris.
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum.

III. *fol.* 19. *Incipit prologus Hugonis prioris de sancto laurentio in libro de claustro anime.* Interim ad calcem Operis *Laurentio* erasa substitutus est *Victor.* Qui *Hugonis a S. Victore* Opera III. *Tomis* vulgavere *Rothomagi* 1648. f. ad calcem *Claustri Animae*, quod T. II. p. 42. legitur, fatentur, sibi quoque Codicem visum, qui *Claustrum* istud *Hugoni de S. Laurentio* Priori Canon. Reg. in agro *Ambianensi*, aliis dicto *de Folieto* tribueret, itaque rem in medio relinquunt. Ast alii aperte pro hoc posteriore *Hugone* stant, quos vide in *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. VIII. h. v. quibusque Codex noster a prima manu adstipulatur. Integros ille IV. *Claustri Animae* Libros continebat, ut in Edit. *supracit.* habentur, at nunc post *pag.* 37. Libri III. *Capita* 4. excidere. Neque id satis. Adest Liber V. quem in Editis non reperio, atque hic eodem fato truncatus est 6. primis *Capitibus.* Ejus Prologum et Summam hic adscribam. *Sicut comperi. non est tibi frater honerosum. diu fuisse discipulum. nec ad hoc laboras. licet ad hoc uoceris. ut te uocent alij magistrum. Locum prelationis attendis et consideras. et ideo forsitan ruine periculum metuens preesse formidas. Anima siquidem res subtilis est. nec aliquo corporeo sensu comprehendi potest. Et cum uix aliquis sit qui animam suam in pace possit regere. dubitas nisi fallor. qualiter alter alterius anime ualeat prouidere. Multa etiam corpori necessaria sunt. que uix ad libitum subditorum ministrari possunt. Ergo frater cum premissa consideras. non est mirum. si preesse pluribus expauescas. forma nimirum religiose uite assimilari potest uolubilitati materialis rote. Vt igitur ante oculos claustralium quasi speculum quoddam ponam. rotam prelationis in capite presentis opusculi pingam. Explicit Prologus. Incipiunt capitula. De pictura rote I. De hiis que sunt in rota. II. De auxe. III. De modiolo. IV. De stridore auxis. V. Qualiter auxis ungitur. VI. Quod axis perunctus silet. VII. De primo et secundo radio. VIII. De tertio et quarto radio. IX.*